



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

47. Quando peccatum censendum sit publicum, ut liceat prætermisso gradu pricatæ monitis, corrigere publicè coram aliis? Et quid, si possim pricatè corrigere publicè, aut Prælato denunciare? Ex p. 7. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

bendi, & non alij testes; quia lex Charitatis postulat, ut saluti spirituali proximi, cum minimo famae dispendio consulatur.

## RESOL. XLV.

*An qui in correctionem testes adhibuit, teneatur adhuc alios adhibere?*

*Et si peccatum ab aliquibus scitur, & coram illis potest sufficienter corrigi, illi sunt adhibendi, & non alij delicti ignari?* Ex part. 7. tractat. 3. Refol. 53.

§. 1. **R**espondeo Bonacina *disputatione tertia, questione quarta, punct. 7. numero 16.* posse alios testes gradatim adhibere, sed non teneri. Quod possit; ratio est, quia nulla sufficienti ratione probatur non posse, cum hac ratione speret resipiscentiam, & famae delinquentis prospiciat. Quod vero non teneatur, ratio est; tum quia sufficienter charitatis ordinem servauit iuxta praescriptum Euangelij: tum quia non tenetur tantum incommodum lubire, cum frequenter, magis onerosum sit testes saepius adhibere, quam delinquentem Praelato vnica vice denunciare. Ita ille.

2. Sed non deferam hic apponere pro praxi verba Trullench, *in decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 16. num. 1.* vbi sic asserit. Si frater non emendatus fuerit adhibeantur vnus, aut duo testes, etiam delicti ignari, ut coram eis corripiatur, toties, quoties moraliter speratur emenda: quamuis peccatum sit omnino occultum, & non in alterius, sed solius peccantis damnus. At si scitur ab aliquibus, & coram illis potest sufficienter corrigi, illi sunt adhibendi, ut tenet Sanchez cum Tabien. *verb. Correctio, num. 2. in consiliis, part. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 7. num. 4.* quia lex Charitatis postulat, ut saluti spirituali proximi quam minimo famae dispendio fieri possit, consulatur. Non tamen tenemur vnum testem prius, (quamuis hoc melius sit) & alterum posterius, sed possunt duo simul adhiberi, ut efficacior sit correctio. Hucusque Trullench. Et de hac Quaestione *supra* etiam aliquid dictum est.

Sup. hoc supra in Ref. 42. & infra in Ref. 58. & lege eam a principio.

Sup. hoc in Ref. 1. not. praeterita §. vlt. &c.

Et pro vlt. huius Ref. in Ref. praeterita & seq.

Sup. in Ref. que nunc hanc sequetur.

## RESOL. XLVI.

*An quis in correctione teneatur in testium numero gradatim ascendere, antequam Praelato denunciatur?* Ex p. 7. tr. 3. Ref. 40.

§. 1. **R**espondeo negatiue cum Maldero *in 2. 2. D. Thom. questione 33. art. 7.* Ordinariè hoc non esse necessarium. Si enim grauius sit fratri, male audire apud Praelatum, quam apud decem testes; considerandum est, grauius etiam esse, tot adhibere testes corrigenti, quam semel indicare Praelato. Quovsq; ergo charitas consulat famae delinquentis, praeepto non erit nimium oneranda anxie conscientia corripientis.

2. Notat vero idem Malderus, quod si speres vno teste adhibito corrigendum fratrem, teneris adhibere tantum vnum: vult enim Dominus vnum aut duos adhiberi, prout videbitur necessarium. Alioquin in hoc secundo gradu istam latitudinem obseruauit D. Hieronymus, ut prius vno teste adhibito moneatur: nam etiam tunc in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Ipse enim corripientis etiam testis est: id eoque dicitur: *adhibe tecum adhuc vnum.* Obseruant id passim Doctores, & interpre-

Sup. hoc supra in Ref. 44. & prope fine Ref. 45.

tes, quamuis Maldonat. in secundo gradu plures testes requirat, ut quadret illud Deuteronij quod adducitur, *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Sed non videtur otiosum, quod sub distinctione Dominus dicat, *Adhibe tecum adhuc vnum, vel duos.*

## RESOL. XLVII.

*Quando peccatum censendum sit publicum, ut licet, praetermissa primo gradu priuata monitione, corrigere publice coram aliis?*

*Et quid, si possim priuatiè corrigere eum, qui publicè peccauit, teneor ne nihilominus arguere publice ante Praelato denunciare?* Ex part. 7. tractat. 3. Ref. fol. 41.

§. 1. **R**espondeo; Salua lege naturali in Euangelio declarata, poterit ille sine praeterea monitione coram aliqua communitate argui, cuius peccatum innouit maiori parti illius communitatis.

2. Quæres, quid si possim priuatiè monendo corrigere eum, qui publicè peccauit; teneor ne nihilominus arguere publice, aut Praelato denunciare?

Respondeo, in eo casu fratrem non esse denunciandum necessariè, neque arguendum coram publico, nisi scandalum quod passus fuit, alter reparari non possit; aut nisi eo publicè reprehenso, etiam illi sint corrigendi, qui ipsius exemplo deliquerunt. Rectè tamen talis denunciabitur Praelato inquitentibus: bet enim ius inquirendi, & iudicandi de publicis. Et ita docet Malderus *in 2. 2. D. Thom. q. 33. art. 7.* Vide etiam Valentia, & Couarruias in *Epistola 4. Decret. part. 2. cap. 6. n. 13.*

## RESOL. XLVIII.

*An quando peccatum est notorium notorietate facti, ita ut non possit vlla reuerſatione celari sit seruandus ordo in correctione facienda, ita ut praecedat secreta admonitio?* Ex part. 7. tractat. 3. Refol. 42.

§. 1. **R**espondeo negatiue cum Coninch. *de Char. disp. 28. dub. 8. n. 147.* Valentia *tom. 3. disp. 3. quest. 10. punct. 5.* Castro Palao *tom. 2. tract. 6. disp. 3. punct. 13. n. 3.* Villalobos *in sum. tom. 2. tract. 4. disp. 10. n. 2.* Filiucius *tom. 2. tract. 28. c. 7. num. 149.* Trullench. *in Decal. tom. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 16. n. 2.* alij communiter; quia quando peccatum proximi est publicum, tunc per denunciationem immediatè Superiori factam, ille non infamatur, quia iam est infamis. Ergo.

2. Nihilominus tamen Adrianus, & Paludanus, viri doctissimi, volunt hanc sententiam aliquando exceptionem admittere: saepe enim sperari potest, ut etiam notoriè peccans per admonitionem emendetur; & quando hoc contingit; aequum est, prius ad moneatur, quam deferatur. Quam limitationem veram existimo; quia in peccatis que ignorantia, vel subita passione committuntur, etiam si notoria sint, non est quare desperetur emendatio per monitionem. Et quamuis hic non vigeat conferuatio famae, expedit tamen vitare illa damna & incommoda, que ex iudiciali condemnatione sequuntur. Sed est admittenda hæc limitatio in peccatis que soli peccanti nocent; non tamen in his que tertio, vel communitati dampnum inferunt, in quibus, etiam si ad eam negotia non